

Vadianus mensibus Octobri et Decembri captos Viennae inveni scribit. Timidius est, et a minimo etiam piscicula in fugam vertitur. Sturio se ei per lusum affricare solet, in latebras profugum ejicit, et ventrem lancinat, dumque unus fugit, alter persequitur, aquarum agitatione se produnt, et capiuntur. Captus lacte vel vino *potatur*, quoad diutius vivat, nec citius inebriatur, quam sextarios quatuor ebiberit.

Gregatim natant, et tubarum can-

tum sequuntur, ad eum postquam accessere, irretiuntur. In aqua tanto robore pollent, ut piscatorem cauda ictum e navi dejiciant, elato ex aqua capite, mortuis similes apparent. De Antacaeorum captura, vide Aelianum.

Quantum ad *usum in cibis*, vitulinae in dorso, porcinae in ventre saporem habet, magna pars fassamentis cedit, lactibus nihil dicunt delicatius, sed et ova in cibum expectantur.

CAPVT II.

De Eperlano.

TAB. XXIV.

3.

*Aldrovand.
de Piscibus
l. 4. c. 12.*

In fluviorum in Oceanum, (verba sunt Aldrovandi) influentium ostiis, ut Rhotomagi et Antwerpiae frequens est piscis, teste Rondeletio qui *Eperlan* (quam vocem vulgarem secutus Eperlanum ceu latinum nomen fecit) dicitur, a nitido et splendido (inquit) colore, quo unionem (perlam) refert.

Caeterum si a perla ipsi nomen est, verendum est appellari een peerl; nam Eperlan Belgicum vocabulum non est: et Bellonius Epelanum nuncupat. Ait tamen etiam, Atherinae modo transparenere. Hic Anglis *Schmelt* vocari scribit ab odore (violam enim gratissime redolet, quam obrem quidam *violam* vocari posse censent, argumento quod Aelianus ab odore thymi Thymallum piscem nominavit,) vel a pinguedine. Gessnerus priorem etymologiam probat, quoniam Smelle Anglis sit odorari.

Smel tamen apud Belgas est, liquescit, et proprie de pinguedine dicitur, a quibus Angli forte nomen mutuaverint. Uterque *duo ejus genera* esse scribit, *marinum* unum, *fluviale* alterum. Sed Rondeletius marinum litorale esse, Bellonius saxatile dicit.

Rursus Rondeletius Eperlanum in marinum et fluviale distinguit, figura corporis nihil vel parum differre innuit, ideoque unicam iconem exhibuit: Bellonius contra duas, admodum diversas; quare su-

spicari licet fluviale Rondeletii a marino non differre. Bellonius marinum item, partim marina, partim fluviali aqua gaudere tradit, et Rondeletius quoque ex mari ad fluvios ascendere insinuat, dum in Sequanae ostiis optimum esse scribit, et in Angliae fluviis.

Apud Neuftricos Caudebeccanos, Angliae populos, uberrimus est, major tamen proventus circa vindemias, quo tempore est delicatissimus. Tereti ac tenui est corporis compage, nonnunquam dimidium pedem aequante. Rondeletius ad pedis magnitudinem aliquando accedere innuit.

Asinos parvos refert, unde ex eorum genere esse judicarunt, quos refellit Bellonius, propterea quod glabro sit corpore. *Oris* hiati satis magno est.

Dentes habet in maxillis, et in lingua. Truttam praeter caetera dentibus refert. *Lingua*, ut ait Bellonius quasi gemina, hoc est, (inquit) in cujus radice posterior quaedam appareat, in qua multo plures dentes sunt, quam in anteriore. *Pinnae* habet easdem, quas Salmonum genus, maxime posteriorem illam dorsi pinnam subrotundam et pinguem. Prior totum piscem in aequales fere partes dividit. *Cauda* bifurca est. *Branchiae* sunt utrimque quaternae, decolores, et *violam olentes*.

Trans-